THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

Entstehungsort unbestimmt, 14. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35467
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

heretico tradidit · ut super obiectis deliberare deberet · Illa autem nocte hereticis ad ignem congregatis: cedulam quam receperat produxit in medium · Cui socij dixerunt · ut in ignem eam proiceret · et si comburi contingeret · eorum fides ymmo perfidia vera esset · Si vero comburi non posset · veram fidem romana ecclesia predicaret · Quapropter cedula in ignem proicitur: que cum aliquantulam moram in igne fecisset · incombusta mox prosiliit / stupentibus cunctis · vnus ceteris durior ait · Dicamus iterum · et sic experiemur plenius veritatem · Proicitur iterum · et iterum prosiliit incombusta · Et tercio proicitur · et illesa prosiliit · Heretici autem in sua duricia permanentes · districtissima inter se iuratione firmaverunt · ne hec aliquis publicaret · Quidam tamen miles fautor nostre fidei qui aderat · istud miraculum postmodum publicauit ·

De institutione ordinis predicatorum · C xviij ·

Cepit beatus Dominicus de institutione ordinis cogitare · cuius officium esset per mundum predicando discurrere · et contra hereticos fidem katholicam communire · Cum ergo a summo pontifice Innocencio ordinem qui predicatorum diceretur et esset: confirmari sibi suisque successoribus postularet · et aliquantulum se difficilem exhiberet · Nocte quadam idem pontifex videbat in sompnis quod lateranensis ecclesia quasi subito minaretur ruinam · Quod dum tremens aspiceret · ex adverso vir dei Dominicus occurrebat / humerisque suppositis totam illam casuram fabricam sustentabat · Euigilans autem et visionem intelligens peticionem viri dei hylariter acceptauit / hortans vt ad fratres suos rediret / regulam aliquam approbatam sibi eligerent / et sic ad ipsum rediens / confirmacionem sibi ad libitum reportaret · Regressus igitur ad fratres: et invocato sancto spiritu regulam beati Augustini doctoris et predicatoris egregij · ipsi preter et re et nomine predicatores futuri vnanimiter elegerunt · Interea Innocencio defuncto